

jejunare nequeant sine gravi incommodo : quod continget tantum si confessiones audiant fere per totam diem, puta per septem vel octo horas. (S. Alph. l. c.)

448. IV. Ubi dubitatur num causa per se sufficiens sit ad excusandum a jejunio, vel ubi per se solam minime sufficit, recurri potest ad eum qui habet facultatem dispensandi et qui tunc supplere poterit quidquid illi causae desit. (n. 121) Jamvero in lege jejunii dispensare possunt :

1° Romanus Pontifex *pro universa Ecclesia*. Ejus dispensatio semper est valida et, si justa subest causa, etiam licita.

2° Episcopi, ob justam causam, *cum subditis singulis*. Insuper, ex perpetua concessione ipsis facta a Leone XIII per decretum S. Inq. 5 Dec. 1894 (Act. S. S. t. 27. p. 512), habent " facultatem anticipandi die sibi benevisa atque, ob gravissimas causas, etiam dispensandi super lege jejunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel sollemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quattuor temporum et vigiliis per annum jejunio consecratis ; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur. „ Ex declarationibus autem ab eadem S. Inq. 18 Mart. 1896 datis (Act. S. S. t. 28. p. 572) constat hanc facultatem extendi etiam ad sollemnitates in quibus utrumque praeceptum non sit servandum, ex. gr. in centenariis, peregrinationibus, etc. — sufficere magnum concursum civitatis aut loci ; — periculum *generale* quod abstinentia anticipanda non observetur sufficere ad dispensandum ; — tandem posse episcopum ex rationabili causa committere parochis ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia.

3° Superior Regularis cum subditis suis singillatim sumptis, non autem cum integra communitate.

4° Parochus cum singulis parochianis.

Verum, ubi causa excusationis solide probabilis est, non est necessario ad Superiorem recurrendum ; laudandi certe qui etiam tunc recurrunt.

§ 4. DE CAUSIS AB ABSTINENTIA EXCUSANTIBUS.

449. I. Ratione *aetatis* ab hac lege nullus christianus excusatur, nisi qui legibus ecclesiasticis in genere subditus non sit, utpote septennio minor vel perpetuo amens. Reliqui vero ab eadem excusantur, ubi eam

sine morali impotentia seu *magno incommodo* observare nequeunt. Speciatim afferuntur sequentia exempla, a quibus norma ad similes casus solvendo desumi potest :

1° Infirmi qui, ob manifestam necessitatem vel medici consilium, carnibus indigent. His accedunt mulieres praegnantem vel lactantes, ita saltem ut, propter vividam carnis appetentiam, facilius cum ipsis dispensetur. (Lehm. l. n. 1028) Idem censemus de iis qui, propter stomachi debilitatem, cibos esuriales absque gravi incommodo sumere nequeant. (Berardi, Prax. Conf. n. 2963)

2° Pauperes mendicantes, si quando carnem in eleemosynam recipiunt. (Gury, l. n. 487) Quod merito extendi potest ad eos qui in tanta miseria vivunt ut, nisi pudore prohiberentur, mendicaturi essent. Neque necesse est ut alio cibo hac die careant. Nam praesumi potest Ecclesiam, tam benignam in pauperes, non esse invitam quominus isti hoc insolito commodo sibi obtingente fruantur. (Ber. Prax. Conf. n. 2965)

3° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam vel lactucas condiendas. (Gury, l. c.)

4° Operarii quibusdam laboribus adeo arduis addicti ut aliis cibis satis ali nequeant vel eorum etiam nauseam experiantur. Tales sunt qui labores molestiores exercent in fodinis metallicis vel carbonariis aut in officinis vitreis vel ferreis. (Gury, l. c.)

5° Iter agentes qui cibos licitos ad congruam refectionem reperire nequeant. Sin autem illos, absque magna difficultate, habere possunt (ut plerumque, in regionibus saltem catholicis, contingit), a lege abstinentiae ratione solius itineris non excusantur.

6° Personae omnes, ut uxor, filii, famuli, quae sunt in potestate patrisfamilias, quando iste vult ut, diebus abstinentiae, solae carnes apponantur : nam versantur in morali impotentia servandi praeceptum. Ex responsis S. Poenit. liquet indultum vescendi carnibus, concessum vel patrifamilias vel alii familiae membro, non esse per se rationem sufficientem ut familiae universae carnes apponantur. Nam 29 Dec. 1862 interrogata S. Poenit. : " An ratio propter quam filiifamilias uti possunt cibis vetitis, a patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum, seu potius indultum quo gaudet paterfamilias, „ respondit : " Ratio permissionis de qua in quaesito proposito sermo, non est indultum patrisfamilias, sed impotentia in qua versatur filiifamilias observandi praeceptum. „ (Coll. P. F. n. 2067) Famuli et ancillae, in hoc casu, *speculative* quidem tenentur alium famulatum inire, si absque magno incommodo id possint. Sed saepe haec obligatio, praesertim pro ancillis, urgenda non est, si reliqua religionis officia rite obire sinuntur et periculum castitatis abest : nam valde timendum est ne alibi deteriora inveniant. (Ber. Prax. Conf. n. 2967)

Numquam tamen liceret manducare carnes si eae apponerentur in contemptum religionis, et in iis adjunctis in quibus talis comestio in religionis contemptum cederet. Sed plerumque hoc posterius vitari poterit, si manducans declarat se omnino abhorrere a prava intentione apponentis et manducare tantum ob necessitatem in qua versatur.

7° Hospes qui, praeter exspectationem, prandium carnibus paratum invenit, neque alias epulas obtinere vel discedere, sine gravi incommodo, potest. Nam "discedere aut toti prandio assistere, nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia notabilem turbationem, immo, ut plurimum, inimicitiam provocaret." (Ber. Prax. Conf. n. 2977) Non liceret tamen comedere carnes, si facile aliae epulae obtineri possent, ut solet fieri quando quis per plures dies versatur inter consanguineos vel amicissimos qui legem abstinentiae non servant.

8° Milites, saltem ii qui expensis gubernii aluntur; immo plerumque ex consuetudine ab episcopis probata vel tolerata, milites quilibet, etiam officiales eorumque familia. (Gousset, Th. M. I. n. 313) In Belgio, iis omnibus conceditur quotannis facultas vescendi carnibus per totum annum, excepta feria sexta Parasceves. Hac generali dispensatione data, jam videntur carnibus vesci posse milites qui, ad breve tempus, domum redire permittuntur vel etiam habitualiter extra contubernia manducant: nam indultum datur universe iis omnibus qui *actu* inter milites recensentur, neque requirit moralem impossibilitatem, quae pro officialibus eorumque familia adesse non solet. Contrarium dicendum esset, cum Berardi (op. cit. n. 2974), si nullum indultum concessum esset. Tandem, ubi datur dispensatio toti officialium familiae, censemus eam, ex intentione dispensantis, complecti etiam eos qui in eadem hospitantur, minime vero eos qui ad eludendam abstinentiae legem se eidem familiae conjungerent.

9° Si bona fide adhibita fuerint condimenta vetita ex. gr. jus carneum leguminibus immixtum, et error tantum instante prandio detegatur, ratio sufficiens aderit ut cibus ita praeparatus sumatur: nam a re sub levi prohibita excusat causa rationabilis. Quodsi *integrum* prandium carnibus paratum est, videndum erit num in eo relinquendo notabile adsit incommodum: quodsi adest, sumere licebit. Tale autem incommodum sat crebro occurret, praesertim si jam deest tempus ad aliam convenientem refectionem parandam, eo quod familia numerosa est, vel locus remotus, si timentur irae et contentiones, etc. (Berardi, op. cit. n. 2978 seqq.)

450. II. Quando occurrit ratio quae certo vel probabiliter per se solam non sufficit ad excusandum a lege abstinentiae, recurri poterit ad dispensationem proprie dictam. Facultatem ordinariam dispensandi

habent iidem qui enumerati sunt n. 448, ubi de lege jejunii. Nemo tamen, praeter Rom. Pontificem, ordinariam facultatem habet dispensandi in prohibitionem permiscendi carnes cum piscibus.

Ubi episcopus generali Indulto, vi facultatis a S. Sede obtentae, concedit ut, certis quibusdam Quadragesimae diebus, carnibus vesci liceat, hac concessione uti possunt, *quotiens edunt*, fideles qui ratione aetatis vel laboris jejungere non tenentur. (S. Poenit. 24 Febr. 1819; Coll. P. F. n. 2063) Nihilominus, si episcopus diserte Indulto apponit hanc restrictionem ut etiam ii qui jejunio non teneantur, semel tantum in die carnibus vescantur, id omnino servandum est. (S. Poenit. 27 Maii 1863, ap. Gury, I. n. 514) Attamen, teste Sabetti (Theol. Mor. n. 334), S. Poenit. Episcopo Buffalensi respondit "non expedire" ut hanc limitationem poneret.

Quodsi (ut fit in Belgio) huic dispensationi adjungitur praeceptum certas preces recitandi singulis diebus quibus fideles ea utuntur, praeceptum istud sub levi tantum obligat, et, elapso die, penitus cessat. Similiter sub levi obligat eleemosyna qua quis se ab onere precum illarum liberare potest.

III. In urgenda vel relaxanda lege abstinentiae, confessarius haec prae oculis habeat:

1° Saepe causa principalis, quae per se ad excusandum non sufficit, causis secundariis completur. Sic, licet paupertas non excuset per se a lege abstinentiae, rationem sufficientem carnes comedendi quandoque habebit operarius qui, ob exiguum stipendium, nequeat sibi procurare illa alimenta licita quibus indigeret ad ferendum laborem satis arduum, praesertim si insuper nonnihil debilis est.

2° Plurimum attendendum est ad condicionem personarum et ad rationem qua lex abstinentiae in tali loco *communiter* servatur. Ita multa erunt permittenda vel prudenter dissimulanda cum operariis industrialibus qui, cum saepius carne vesci soleant, molestiam majorem in abstinentia reperiunt, et plerumque in legibus Ecclesiae servandis remissiores sunt. Strictius agi poterit cum multis agricolis qui, minus assueti carnibus manducandis, facilius cibos esuriales concoquunt et leges ecclesiasticas fidelius servant.

3° Cavendum est ne, sine spe successus, perturbetur bona fides eorum qui sibi licita existunt quae, spectatis regulis theologicis, non licent. Hoc non raro hodie contingit ob laxatam quamplurimum abstinentiae observantiam, vel quia medici, etiam catholici, ob causas leviores carnem permittunt aut praescribunt. Praesertim prudenter agendum cum iis qui, ob importunam confessarii severitatem, facile a sacramentis omnino recederent. Ex altera tamen parte invigilandum ne, istorum exemplis, alii a servanda abstinentia deterreantur.